

ut ueniat ad me iam semul tecum.— Sy. eo.—

Ly. nescis negoti quid sit, uxor, opsecro.

790 concepteis uerbeis iam iusiurandum dabo 50

me numquam quicquam cum illa—iamne abiit Syra?

perii hercle! ecce autem haec abiit. uae misero mihi!

at te, uicine, di deaeque perduint,

cum tua amica cumque amationibus!

795 suspicione impleuit me indignissime, 55

conciuit hostis domi: uxor acerrumast.

ibo ad forum atque Demiphoni haec eloquar,

me istanc capillo protracturum esse in uiam,

nisi hinc abducit quo uolt ex hisce aedibus.

800 uxor, heus uxor! quamquam tu irata es mihi, 60

iubeas, si sapias, haec (hinc) intro auferrier:

eadem licebit mox cenare rectius.—

SYRA EVTYCHVS

V

Sy. Era quo me misit, ad patrem, non est domi:

rus abiisse aibant. nunc domum renuntio.

805 Ev. defessus sum urbem totam peruenarier:

nihil inuestigo quicquam de illa muliere.

sed mater rure rediit, nam uideo Syram

5

astare ante aedis. Syra! Sy. quis est qui me uocat?

Ev. erus atque alumnus tuo' sum. Sy. salue, alumnule.

810 Ev. iam mater rure rediit? responde mihi.

Sy. cum quidem salute familiai maxuma.

Ev. quid istuc negotist? Sy. tuo' pater bellissimus

10

amicam adduxit intro in aedis. Ev. quo modo?

Sy. adueniens mater rure eam offendit domi.

815 Ev. pol hau censebam istarum esse operarum patrem.

etiam nunc mulier intust? Sy. etiam. Ev. sequere me.—

788 simitu *Ritschl* (*A n. l.*), cui displicet hiatus tecum | eo 789
 nesceis *A* 790 desinit *A* 796 domi (mi) *Ritschl*, cui hiatus
 in pausa displicet 797 haec dem. *cod.*: *trai. Pylades* 801 hinc
 add. (post intro) *Pylades* 809 alumnule *Schoell*: alumne *cod.* (v. 8)
 811 Sua qu. s. ac f. *Camerarius* familiai *Bothe*: afamilia *cod.*